LAELII PEREGRINI ... ORATIO HABITA IN ALMO VRBIS GYMNASIO DE VTILITATE MORALIS PHILOSOPHIÆ, CUM...

Lelio Pellegrini



DE VTILITATE MORALIS Philosophiæ, Oratio.



VOD sæpe a Deo immortali precatus sum, Patres Amplissimi, cæterique Auditores ornatissimi, vt litterarios labores meos ea tandem viuendi ratio consequeretur, qua Romanæ iuuentuti studiorum meorum fructus, quantulacumque ea fuerint, impartiri possem, id iam diuina votis meis annuente bonitate, singulari SIXTI QVINTI Pontif. Opt. Max. beneficio, egregia sapientissimi huius almi Gymnasij Rectoris in bonos omnes voluntate mihi uideo esse tributum. Ad exponendos n. Aristotelis Ethicorum & Politicorum libros in hanc Scholam, quasi in amplissimum quoddam gloriæ theatrum adscitus, intelligo omnes mihi ingenij vires proferendas, omnemque supellectilem multiplici olim lectione collectam explicandam, quando vt eximia sunt eruditione referti, ita politioris exquisitiorisque litteraturæ poscunt interpretẽ, & pars ista Philosophiæ, quæ circa res agendas uertitur, disciplinarũ omnium studiosis non paruum sit emolumentum allatura. Quotusquisque enim vestrum est qui non intelligat, quantum eius cognitio ad illam Sacræ Theologiæ portionem conferat, quæ de uitijs, de uirtutibus, de fine, de felicitate, de actibus humanis, de libera hominis uoluntate accuratas & difficillimas texit disputationes? Testes sunt, vt antiquiores omittam, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Magnus Gregorius, viri cum doctrina singulari, tum admirabili quadam dicendi suauitate atque copia, qui eruditionem omnem paruo isto volumine comprehensam, diligentissime conquisitam, in suos commentarios transtulerunt, eosque sententijs Aristotelicis, quasi tabellas aureas miro artificio expolitas nobilibus margaritis distinxerunt. Testis est grauissimus & eruditissimus Thomas Aquinas, testis eius præceptor magnus Albertus, & qui acumine ingenij omnes, tum superioris, tum posterioris memoriæ homines antecessit, Ioannes Scotus, testes deniq; recentiores Theologi, qui rerum diuinarum scientiam ex Vetustatis quasi vmbraculis, in Solem, in puluerem, atque adeo in ipsam aciem eduxerunt, hi, inquam, sagacissimi veritatis indagatores, ad instituendam vitam, ad mores componendos, ad pacandos affectus, ad uitiorum euulsionem, ad satum uirtutum, totamque animi culturam, istos Aristotelis de moribus & Repub. quam eruditissimè conscriptos libros magni referre usu ipso, sententijs innumeris ad incurrentium difficultatum decisionẽ inde petitis, declarauerunt. Ea vero ars, quæ tuendis corporibus occupatur, Morali philosophiæ ita coniuncta est, vt animus corpori. Bona .n. malaue animi affectio magnã habet cum sanguine cæterisque humoribus communicationem, & mirũ dictu est quantum ira bilis inflammetur, quantum Melancholia crescat ex tristitia, & intestino mærore morbi vis intendatur, vt sapienter ueteres Magi statuerint, in male affectis sedandas esse prius animi perturbationes, quam sanando corpori manus admoueretur; quin etiam non uno experimento compertum sit, graues & inueteratos morbos a Medicis uel peritissimis desperatos, sola intimorum animi motuum compositione, & ad hilaritatem reuocatione curatos. Perturbatis uero medicina non aliunde petatur, quã a Morali Philosopho; ille .n. consolari docet afflictos, erigere timore depressos, ille nimium sibi fidentes comprimit, luxuriantes frenat, mala denique omnia, & ipsam ma-

lorum radicem stirpitus extracturum se, conuulsurumque pollicetur. Iam uero de speculatricis Philosophiȩ cum hac nostra coniunctione quid omnino dicam, cum satis constet eas quasi geminas eodem partu natas, eandem fere conditionem sortitas in id unum incumbere, ut hominem, quoad fieri possit in hac uita calamitatum plenissima felicem, reddant & beatum? Quod si quis uestrum uel inops otij, uel nimium forte laborem pertæsus malit, earum altera dimissa, alteri se tradere instituendum, & animi pendeat, utri potissimum uitæ rationes committendas arbitretur, uelim sibi persuadeat, hanc, quæ de uita & moribus agit, multis fore nominibus præferendam, siue ordinem discendi spectet, siue disciplinæ utilitatem. Nam & huic prius incumbendum esse quã Physicis, ut pacatiori mente naturæ arcana tractentur, uetus fuit Peripateticorum sententia, & cum uniuersa Philosophiȩ planities tota frugifera sit & fructuosa, certe ea pars, quȩ circa mores excolendos, & res tum publicas tum priuatas constituendas occupatur, multo uberior est, atque feracior. Quapropter bene antiqui illi sensisse mihi uidentur, qui Philosophiam quasi agrum latissimum maximeque opimum constituerunt, cuius Maceria, & Sepes ars esset ratiocinandi, quam Logicam appellãt, Arbores ad eam, quæ est de obscuritate Naturȩ, sed Fructus, quorum gratia seruntur arbores, ad Moralem pertinerent. Neque illud omittendum, quod Contemplator Philosophus, etsi audacissimè intrat in rerum naturas, & eorum quæ infra Lunam sunt, peruestigatione minimè contentus, Cælum ipsum conscendit, multaque de eius natura & partibus, de motu, de figura, de ui Syderum inquirit, & omnem hanc rerum uniuersitatem ita peregrinatur, ut nullum faciat commentandi, nullum differendi finem, ea tamen primis, ut dicitur, labris degustat non percipit, dubitat non assequitur, adumbrat non exprimit; quod & Aristoteles ipse, uir cætera minime contemptor sui & in naturȩ obscuritatibus, quasi arbiter ueritatis communi Philosophorum iudicio constitutus, haud uidetur inficiari, cum maiorem ȩtatis partem per ignorantiam transigi, & maximam eorum, quȩ scimus, portionem, minimam esse dixit illorum, quȩ ignoramus. Latent.n. omnia uastis circumfusa tenebris, nec ex tanto obscuritatis profundo nisi pauca quȩdam, eaque nec perfecte, nec sine labore, hactenus tot sȩculis deuolutis erui potuerunt: Præclarè igitur ab Ecclesiaste traditum est, eum, qui addit scientiam, addere dolorem, cum Naturȩ cognitio maximis obstructa difficultatibus, sine ui, sine dolore, sine spiritus, ut ille inquit, afflictione comparari nequeat, ac diuinum illud futurȩ calamitatis Elogium primȩ Parenti enunciatum, quòd in dolore filios esset paritura, ad mentis nostrȩ fœtus qui primus deduxit, pulchrè & acute mihi uidetur excogitasse; Concipit.n. humana mens, diuersis ministerio sensuum grauidata notitijs, atque parit uarias, & multiplices rerum intelligentias; sed per dolores, sed per angustias, sed per maximas difficultates, quȩ tamen longe absunt a Morali Philosophia, vt vel hoc ipso nomine sit auidius præ cȩteris expetenda, quod plana atque facili via res prȩclaras maximeq; humanȩ vitȩ necessarias tradens, noua semper discentem uoluptate perfundat. Sed venio ad Iurisprudentiam Vindicem scelerum, Politiarum omnium conseruatricem, quam certum est ex hac nostra facultate, quæ tum Ciuilis, tum Moralis a Platone, Aristotele, alijsque nuncupatur, ortum & incrementum habuisse. Indicat hoc nomen ipsum; Numquid enim Ius ciuile deriuatum aliundè suspicari licet quam à Ciuili facultate? Fatentur id etiam Iurisperiti, & quidem ingenue, quin potius magnopere gloriantur. Nam & Vlpianus, in suis institutionibus, uerum se iure tradendo Philosophum

phum arbitratur, & germanæ Philosophiæ sectatorem, nec nõ Marcus Tullius, vir diuini humanique iuris ætate sua consultissimus, multo commodius ferendarum legum rationem ex vberrimis Philosophiæ fontibus, quam ex duodecim Tabulis vel Prætoris edicto hauriri posse arbitratur. Cum enim leges omnes eò spectent, vt iubeant honesta, probibeant contraria, Honesti autem regula vna sit moralis Philosophia, quæ docet quid rectum, quid obliquum, quid rationi consonum, quid ab ea alienum, nullus dubitationi locus relinquitur leges non aliam agnoscere parentem & procreatricem, quã Ciuilem disciplinam. Quod si vere illud ab Aristotele traditum est, non esse existimandum scire eum, qui rei causas & principia prima ignorauerit, cumulatam certe, & numeris omnibus absolutam iuris scientiam a Philosophia alienus minime consequetur. Vna restat nobis ars Oratoria ex orbe disciplinarum expendenda, de qua illud dictum sit, eam non esse suadendi opificem, sed adiutricem; cui si rerum altissimarũ dempseris cognitionem, vanus quidam & importunus remanebit verborum strepentium fluxus; optimeq́ue illi congruet, quod in Leosthenis oratione Phocion reprehẽdit, esse illam persimilem Cupresso, arbori quidem pulchræ & sublimi, sed quæ nullos ferat fructus, nec vlli, nisi excisa, vsui sit, sola naturæ proceritate suspicienda. Non enim flectit animos oratio verbis quantumuis grandibus exaggerata, nisi sententias grauitatis plenas ex intima Philosophia petitas secum trahat, quæ Auditores vinciant, quæ cogant reluctantes, quæ mente male affectos expurgent, cum, ex Aristonis sententia, non purgatis nec balnei vllus sit, nec orationis vsus. Qua in re non possum satis eos mirari qui Eloquentiæ studio flagrantes dies noctesq́ue versandis terendisq́ue M. Tullij libris insumunt, singulas quasq́ue particulas, minutissimas vocum coniunctiones, ambitus periodorum, structuram verborum, numerũ atque pondus orationis quasi manu exigunt, & curiosè nimis peruestigant, piaculo se teneri opinantes, si nouum aliquod Ciceroni vocabulum, si peregrinam loquendi formulã admittant, lectissimas vero sententias, maximèque ad persuadendum accommodatas, quas diuinus ille vir in Platonis & Aristotelis schola diu volutatus illustrium verborum elegantia, & miro quodam dicendi artificio auxit & ornauit quasi ab oratoria facultate alienas prætermittunt. Hi profecto ex Eloquentiæ vbertate frondes colligunt, non fructus; indigni qui inter ferendos, ne dum inter bonos censeantur Oratores. Atqui vt Ixion in vetere fabula, cum vesano in Iunonem impetu ferretur, vana specie deceptus nubem complexus est Iunonis sibi effigie obiectam, sic isti nimis in verbis legendis religiosi, Philosophiæ vero minime dediti, pro vera & solida Eloquentia vanam quandam, & inanem Eloquentiæ vmbram nanciscuntur. Sed non sit vsui vlli hæc nostra Disciplina Theologis, non conferat Medicis, non opituletur ijs, quorum opera vel in obscuritate naturæ, vel in cognitione Iuris, vel in Orationis elegantia occupatur, quid quod acres illas animi perturbationes intestinum hominem misere depascentes comprimit & componit? quid quod pretiosissimis omnis generis virtutum diuitijs animum cumulat & exornat? quid quod rationem tuendę parandęque rei familiaris, opus mortalibus cunctis quam gratissimum, tradit, docetque domesticas euitare difficultates, & necessariorum dissidia? Atqui domesticę contentiones tanto sunt quouis externo bello detestabiliores, quanto proprias carnes mordere horribilius est, quam alienas absumere; lacerãt autem & discerpunt propria membra, qui familiam, vnius quasi corporis compagibus constitutam, dissidijs & contentionibus

bus assidue diuexant. Cum igitur pestem istam tam sæuam, tam execrabilem atque perniciosam facultas Moralis e nostris Penatibus euellat, & eijciat, an non magnū quoddam atque diuinū bonum eius videmur beneficio consequuti? Neq; vero clauditur priuatis domibus hæc tam præstans atque præpotens, maximeque hominum vitę necessaria Philosophia. Omnibus, enim, quæ ad culturam animi pertinent, quam optime constitutis, tum etiam re familiari sapienter disposita, tādem prodit in publicum, intrat in aulas Principum, in Senatum atque Concilium orbis terrarum, arripit Rerum publicarum gubernacula, conscendit speculas editissimas, vnde humanas actiones omnes contempletur, ad easque in commune bonum dirigendas promouendasque, quasi prouidentiæ Diuinæ simulachrum, descendit. Quæ cum ita sint, Romani Iuuenes, hanc vobis pulcherrimam, vtilissimam, & cæteris præcellentem disciplinam propono totis viribus amplectendam, si auitam dicendi laudem, à maioribus hæreditario vobis iure legatam, retinere vultis. Hæc enim, apud Platonem diuertens, Demosthenem clarissimum Græciæ lumen reddidit eloquentem, hæc in vno Arpinate effecit, ne Demosthenem Græcis inuideremus. Ad hanc, quasi classicum canens, eos potissimum excito atque lacesso, qui munitissimam, maximeque repositam Felicitatis arcē expugnare contendunt. Sola contemplatio vniuersi non facit hominem beatum, si nulla eam actio, nulla rerum agendarum cognitio sequatur. Et quemadmodum non censetur perfectum illud, suisque partibus constans ædificium, quod nullo fulcitur fundamento, ita non est existimandū absolutum eum esse Philosophum, qui cum ex naturæ speculatione nobilissimas & editissimas ædes construxerit, nequaquam ex Ciuili facultate satis tanto oneri firma iecerit fundamenta. Quin etiam vt Apelles quondam Coæ Veneris caput, & summa pectoris mira arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam dimisit, ita si in eo tantū vobis esset elaboratum, vt naturæ cognitione mentem excoleretis, quæ vero ad mores pertinent, vti inutilia, minusque ad animi cultum accommodata, præterirentur, egregium porrò Sapientiæ ædificium magnifice inchoatum, rude & imperfectum apud Semiphilosophos remaneret. Ad hanc vos etiam atque etiam hortor, quicumque legum, quas quotidie teritis, rationem assequi desideratis. Hinc enim sacræ Principum constitutiones, hinc edicta Prætorū, hinc Senatusconsulta sapientū auctoritate sancita, hinc responsa Prudentum ad emergentium difficultatum, explicationem recepta fluxerūt. Non sunt vobis, non sunt immensa illa, & propemodum infinita, Iurisconsultorum nostri seculi scripta versanda, quibus euoluendis non sufficit ætas, breui huius vnius parui voluminis lectione res tota peragitur. Antiqui, vt Nili fontes indagarent, nihil nō laboris atque periculi subierūt. Ab Aegypto, innumeris fluuij superatis anfractibus, per arduas excisasque pluribus locis rupes, ad partes Aethiopiæ deuenere; inde magno circuitu in Nigridem, vnde arenis exceptus, & occultatus iterum erumpit, delati sunt; post longo ambitu per vastas solitudines, per loca feris infesta, rebusque ad victum necessarijs destituta, multorum dierum iter emensi, diu errabūdi peruenerunt in Mauritaniam, vnde Nilus sæpe cauernis sese abdens, sæpe foras emergens, quasi natus ad eludendum, exoritur; opus certe curiosum, & laboris atque periculi plenum, cæterū quod paruam indagatoribus dignitatem, nullam fere vtilitatem esset allaturum; laborarunt illi tamen in re non adeò graui, maximeque ad Nili ortum inuestigandum insudarunt: Vos vt ad sacrarum legum, quibus orbis regitur, fontes deueniatis, pedem domo non efferetis? Illi vt vnius amnis initium indagarent, tot terras peragrarunt,

tot aquarum spatia transmiserunt, tot sese discriminibus obiecerunt, vos vt sanctissima iuris incunabula consequamini, ad aureos istos & uberrimos fontes largiore copia ab Aristotele uobis apertos accedere ægreferetis? O facinus indignum, O turpem contemptum rerum utilissimarum, paruo labore detineri, quominus Moralis Philosophiæ præceptis animum imbuamus, quæ leges condit, ciuitates constituit, uitia pellit, uirtutes in animo serit, humanam uitam tuetur, eamque felicem reddit & beatam. Id se maxime cupere declarauit S I X T V S V. *egregius Mecœnas litterarum, qui ut est amœno cumprimis ingenio & omni liberali doctrina politissimo, maximeque ad Monarchiam accomodato, nobile istud Ethicæ, atque Politicæ studium, quo regendi orbis ratio continetur, diu, nec sine magna Vrbis iactura intermissum restituit, neque passus est, in hac Musarum sede eam potissimum desiderari disciplinam, cuius beneficio in bene constitutas ciuitates Musæ receptæ sunt, & magno semper in honore habitæ. Equidem cum egregiam Gubernationis formam ab illo institutam considero, cum sanctissimas, ad perditos huius corrupti seculi mores abolendos, editas constitutiones, cum multas ingrauescentis Annonæ superatas difficultates, & ne in posterum eius caritas timenda foret, res omnes optime prouisas, cum Regijs ædificijs in Dei cultum Vrbem ornatam, cum ad Publicam Commoditatem uias opportunè stratas, cum salubres Aquas, hominum conuictui adeo necessarias, per loca prærupta, innumeris subterraneis effossis Lapicidinis, Romam inductas, cum uastissimos, & in Cælum minantes Obeliscos, quibus è priori sede mouendis naturæ & artis uires eludendæ uidebantur, & loco motos, & translatos, & erectos, & Religioni, qua maxime Populi consensus & communio continentur, dicatos, cum Sicarios, scelestosque homines, qui iam itinera obstruxerant, & priuata negotia, ne dum publica commercia, clauserant, diuina eius unius prouidentia partim exterminatos, partim e medio sublatos, cum securitatem & quietem, tantopere nobis expetitam, restitutam, cum firmam pacem optimis fundatam legibus, cum iustæ moderatæque Dominationis præsidia quamplurima eiusdem cura & sollicitudine comparata, quæ & ad Pacis custodiā, & ad belli neruum, (ita enim pecuniam Demosthenes appellabat,) si quando res commoueri, perturbariue contingat, sint profuturæ, cum denique perfectam absolutæ, & suis quasi uiribus nitentis Reipub. speciem a Platone & Aristotele vix animo comprehensam, & uerbis adumbratam, attamen a* S I X T O V. *factis & re bene gesta mire expressam, cæterisque, qui eum consequuturi sunt, ad imitandū propositam intueor, in eam uenio cogitationem, hunc quidem Principem Deo maxime charum, non sine multa Diuinæ bonitatis luce desuper accepta, tot res, tam uarias, tam cogitatu difficiles breuissimo tēpore perficere potuisse.* Cor enim Regis in manu Domini, quocūque voluerit inclinabit illud, *cæterū assidua in bonas artes ab eo cum priuatus ageret, opera impensa, maxime uero in Ethicen, cuius ille studiosissimus extitit collata, mihi persuadēt, eum non modo ex Sacris litteris, quibus mira quædam ad mores conformandos, & moderandum orbem accommodata præcepta continentur, nō ex sanctis tantum Patribus, quos etiam in dignitate constitutus diligentissime euoluit, & uersauit, non ex Basilio solum, Nazianzeno, Augustino, & qui maxime in hoc genere præstans est, Ambrosio, verum ex aureis etiam & copiosissimis Platonis & Aristotelis fontibus præcellentem istam bene beateque uiuendi normam aliqua ex parte hausisse. Quapropter si uos Philosophiæ de moribus amplitudo minime delectat,* Prouerb. 21.

si eius

si eius non mouet utilitas, at saltem Optimi Principis, re ipsa, non vano nomine Philosophi, exemplum excitet, Quales enim in Repub. *principes, tales Plato docuit reliquos solere esse ciues. Ego quod ad me attinet, Auditores ornatissimi, non parcam laboribus aut vigilijs, vt quæ ad Ethicorum explanationem a me afferentur, sint digna ingenijs uestris, digna maiestate auctoris, digna amplitudine huius toto orbe celebratissimi Gymnasij, quod ego Emporium bonarum artium iure optimo appellauerim, & quantum in me erit, efficiam, ne prętantissimum virum Simonem Cecchinum Moderatorem nostrum, qui me potisimum ad tanti operis molem elegit, pœniteat aliquando consilij sui. Has tibi primas referam gratias, Rector sapientissime, quod me nimio languentem otio ad hanc litterariam Palæstram excitaueris, quod natura cunctantem, & quasi verecundantem, minimeque proprijs fidentem viribus, ad publicè docendi munus suscipiendum inuitaueris, quod grauissimo testimonio tuo, & perhonorifica de me apud Principem nostrum commemoratione perfeceris, vt mihi potissimum, homini haud satis in scholis exercitato, eiusmodi prouincia demandaretur, hoc inquam erit initium gratiæ referendæ, eniti quantum potero, vt satisfaciam expectationi, quam ipse de me commouisti. Vos Romani Iuuenes toto præsentis anni decursu testes eritis fidei, operæ, & diligentiæ meæ, cuius vt hodierno etiam die experimentum aliquod edatur, ad ipsam contextus Aristotelici explanationem descendamus.*

FINIS.